

# Introduction aux chroniques des comtes d'Anjou, Nr. 10

Notitia qualiter et quemadmodum venit dominus Tetbaldus comes Turonis, castello scilicet Sancti Martini, ante sacrosanctum ipsius sepulchrum, die martis, pridie videlicet kal. Aprilis, et ibi devota mente, pro amore dei ac sancti Martini, vel etiam pro remissione suorum criminum atque precatu fratrum, quendam hominem sui juris Letbrannum nomine, filium scilicet Erluini curtis nostrae Pseudoforensis majoris, et ex marterna parte pertinentem ex potestate Sancti Stephani Autisiodorensis, quam in beneficium tenere videbatur, praefato Christi confessori Martino et fratribus ejusdem congregationis perpetualiter habendum vel dominandum, voluntarie condonavit, atque guerpivit, eo quin etiam rationis ordine et tenore, ut quamdiu ipse advixerit Letbrannus, tam ipse quam post ipsum omnis illius successura soboles, hereditario jure in jam dicta Pseudoforensi maneat potestate et ibidem colonili more propriam deserviat hereditatem, tanquam unus saepefatae curtis colonus hereditarius, nulli unquam aliquod reddens servitium nisi beato Martino et ipsius loci canonicis. Si vero, quod absit, vel quod nunquam evenire credo, fuerit aliquis, filius scilicet meus, vel aliqua intromissa persona, quae hujus meae donationis auctoritatem malivolo animo infringere voluerit, inprimis iram et maledictionem omnipotentis dei et piissimi confessoris ejus Martini incurrat et ipsos se offensos sentiat, nisi citissime se ex tam pessima voluntate correxerit, et insuper per districtum Sancti Martini abbatis quicunque extiterit auri libras V coactus exolvat, et sua repetitio nullum effectum habeat, sed haec mea promptissima donatio meis filiique mei, aliorumque nobilium virorum fidelium scilicet meorum, vel etiam quorundam episcopom manibus roborata firma et stabilis semper et ubique valeat permanere.

Signum sanctae crucis domni Tetbaldi comitis, qui hanc donationem libenti animo fieri rogavit et corroboravit.

Signum Tetbaldi filii ipsius. Joseph Turonorum achieepiscopus subscrispsit. Ermenteus Aurelianensem episcopus subscrispsit. Richardus Bituricensium episcopus subscrispsit.

Signum Alberici Aurelianensium vicecomitis. Signum Odulfi. Signum Landrici. Signum Adalardi. Signum Guanilonis vicarii. Signum Ascelini. Signum Bernerii. Signum Arberti.

Data est ergo hujus notitiae auctoritas VII kal. aprilis Turonis, Castello scilicet Sancti Martini, ante sanctum ipsius sepulchrum, anno adhuc tertio regni Hlotharii regis.

Ego Adalmarus gregis beati Martini levita et ejusdem cancellarius rogatus scripsi et subscrispsi.